



Zb. 47.

S C H O L A R V M  
IN  
V I C I N I T A T E A C A D E M I A E  
C O N S T I T U T A R V M V I N D I C I A E.

---

O R A T I O  
IN  
M V N E R E D I R E C T O R I S  
I L L U S T R I S G Y M N A S I I V I M A R I E N S I S  
C A P E S S E N D O

A. D. III OCTOBR. C I O C C L X X X I:

H A B I T A

A

C A R O L O A V G V S T O B O E T T I G E R O .

---

V I M A R I A E.

T M P E N S I S H O F F M A N N I A N I S .

ΙΩΑΝΝΟΥ  
ΕΠΙΦΑΝΙΟΥ  
ΑΓΑΘΟΥ ΑΓΑΘΟΥ ΑΓΑΘΟΥ  
ΟΙΤΑΡΟ

Hesiodus.

Πύρα κακός γέιτων, ὅσσον τάχαγος μέγ' οὐειδεῖ.

ΙΩΑΝΝΟΣ ΕΠΙΦΑΝΗΣ ΑΓΑΘΟΣ

ΕΠΙΦΑΝΗΣ

ΕΠΙΦΑΝΗΣ

ΕΠΙΦΑΝΗΣ ΑΓΑΘΟΣ ΕΠΙΦΑΝΗΣ

...em. et pribal omnia dinst  
...ing en pival obhunc cibosca  
...estimatis. sed. nonc andimus alioff  
...et queo nesciri omnia. quod  
...hunc ab eisdus nonc orem dinst.  
...llores tamenq; andidini dinst.  
...mum. mury sepi ariq; te boni ja  
...tum. et q; dicitur. et q; dicitur. et q; dicitur.  
**AD LIBELLVM.**

Si vis ingenio probari acuto,  
Quod Hellas Latiumque perpolivit,  
Pagellisque tuis abesse fatum,  
Quod parvis solet immnere chartis,  
Exhortor, moneoque te, libelle,  
HERDERVM tibi postules patronum,  
HERDERVM tibi vindicem capessas.  
Nil exactius eruditiusque est,  
Sed nec candidius benigniusque.  
Quod si se negat his vacare nugis,  
Qui scribat calamo severiori  
Hoc, quod secula posterique possint

\*

Aetati

Aetati merito invidere nostrae:  
Accedens timido, levique gressu  
Doctis auribus haec, fac, insusurres:  
„Quae prompto recitata nuper ore  
„Plausus nescio quos tulisse dicunt,  
„Tradi iudicibus timent severis.  
„Quod si legeris ipsa vultu amico,  
„Nec discedere iusseris repente  
„Illuc, unde levem pedem intulerunt;  
„Nec risus metuent maligniorum  
„Nec thuri et piperi dabunt cuculos.  
I mandata refer, libelle, nostra,  
HERDERVMque iube favere nobis,  
Cuius nil mihi dulcius favore est.

Cura

**C**um Principis Serenissimi, CAROLI AVGUSTI  
nostrī iussū et auspiciis provincia rectoris in hoc ce-  
leberrimo bonarum artium et literarum domicilio  
mihi offerretur; primum, vt solet, quid emolu-  
menti detrimentive inde capere, quibus commodis  
vel incommodis, hac conditione accepta, mactari  
possem apud animum meum coepi reputare. Etiam  
si enim illiberalis admodum, ieconi et pusilli animi  
esse puto, in omni conditione, quae tibi deferatur,  
statim federe ad calculos, et quam lautum sit scri-  
pendium, quaenam argenti undecunque corradendi  
opportunitas, quis strenuarum et munusculorum pro-  
ventus, foeneratorum ritu, computare digitis: in  
universum tamen ut in omni vitae genere deligen-  
do, ita in novo munere adeundo, caute circumspi-  
ciendum et quinam iucunditatis fructus, quæve  
molestiae cum illo coniunctæ sint, diligenter con-  
siderandum esse, quis est, qui neget? Nam cum se-  
cundum tritam illam et vulgarem sententiam, nihil  
omnibus numeris absolutum, nihil ab omni parte  
beatum in hac vita reperiatur; ne munus quidem  
ullum vel virgula divina, quod aiunt, nobis obtin-  
gere potest, in quo nil claudicet, nil plane mancum

A

fit



sit et mutilum. Prudentis igitur est, in omni munere capessendo huc in primis attendere animum, ut circumspectis rebus omnibus et rationibus eorum, quae placeant, quaeve displiceant probe subductis, singula inter se compares, et quae sint incommoda, commodorum compensatione sapienter lenias. Nam, quod in alia re scite monet Terentius, *multa ex quo fuerint commoda, eius incommoda aequum est ferre*, id ad muneris etiam cuiusunque rationes commode potest transferri.

Memor igitur sapientissimi huius praecepti, ego quoque, cum iam in eo essem, ut hanc novam scholae moderandae provinciam adirem, mihi ipse deesse nolui, et quae vel iucunditatis fructum, vel molestiae sensum mihi in illa administranda afferre possent, multum diuque consideravi. Sed ut ingenue fatear, quo diutius haec agitabam et examinabam singula, eo maiora et solidiora bona in illis apprehendere mihi visus sum. Obversabatur et fulgore suo oculos quasi praestringebat Princeps, quem literarum elegantiorum et quicquid ubique est pulchrarum artium Spectatorem, Statorem, Sopitatem meritis laudum praeconiis universa concelebrat Germania, quem liberalissimum literatorum hominum et eruditiois laude florentium Patronum praedicat inclita Ienensis academia, prae dicat commune venustiorum et cultiorum hominum domicilium, Vimaria. Tanti igitur Principis praesidio

fidio frui, et studiorum iuvenilium cursum in ea  
 schola moderari, quae tutela et favore eius recrea-  
 ta laetius indies efflorescat, id vero in summa feli-  
 citatis meae parte ponendum esse, merito arbitra-  
 bar. Arridebat porro et suavi quodam lenocinio  
 aliciebat doctissimorum virorum in hoc oppido vi-  
 tam degentium mirifica congregatio, quippe quo-  
 rum familiaribus colloquiis saepe una hora plus pro-  
 ficias, quam si spissa volumina cum pulviseulo  
 excutias, et usque ad mediam noctem lucernae fu-  
 mum combibas. Quid vero suavius, quid exoptati-  
 tius cogitari potest, quam si mihi, umbratico homi-  
 ni et inter subfellia scholastica ut plurimum delite-  
 scenti, cum bonam diei partem in adolescentulis fin-  
 gendis instituendisque consumserim, interdum horas  
 aliquot iucundissima eiusmodi virorum consuetudine  
 frui et ex eorum sermonibus, sale Attico madenti-  
 bus, honestam animo meo petere liceat oblectatio-  
 nem? Atque hic perconsenti mihi singulorum, qui-  
 bus Vimaria nostra exsplendescit, nomina occurrabant  
 statim in limine ipsi amici principis et rerum geren-  
 darum administris, FRITSCHII, SCHNAVSII, GOETHII,  
 SCHMIDTII, LYNKERI, VOGTII, qui quod merito mi-  
 reris in viris tanta negotiorum multiitudine distractis,  
 severitatem laborum suavissimo Musarum consortio  
 condire, et frontem inter veteres illas iuventutis suae  
 nutriculas saepenumero exporrigere solent. Quid  
 vero gratius, quid honorificentius mihi accidere pos-  
 sit, quam quod haec ipsa studia, quibus illi tantope-

re delectantur, publice hic profiteri et iuuentutem ad ea informare iustus sim? Nonne vero hoc calcar addet adolescentibus ad eadem studia indefesso labore persequenda, quibus tantum pretium statuitur a viris primariis, qui in puppi sedent et gubernacula tenent reipublicae? Sucurrebat, in primis mihi in hac provincia scholastica administranda rem fore cum HERDERO, at quo viro? cuius ob os cuncti ora obvertunt sua, a cuius latere me nunquam, nisi doctiorem, discessurum, in eius humilitate et prudentia omnes opes meas me recte collocaturum esse, non sperare tantum, sed etiam confidere poteram. Accedebat, quod non nescirem, me Vimariae domicilium fortunarum mearum positurum esse, id est, Athenis, non illis quidem Atticis, sed Saxoniciis, non ad Lissum, sed ad Ilmum sitis, atque in ea urbe, quam merito mercatum quandam dicas bonarum artium et literarum, peregrinatorum et alienigenarum crebro hoc commeantium frequentia celebratum, librorum et omnis omnino literariae supellectilis lauta copia instructum, ubi floret pictura, ars statuaria, sculptura et quicquid ad elegantiorem et cultiorem vitam perpoliendam exornandamque pertinet, unde non potest non ad me quoque et disciplinae meae alumnos magna et multiplex derivari utilitas. Denique revocabam mihi in memoriam scholam, cui moderandae admoverer, bene moratam et constitutam, docentium pariter ac dissentientium laudibus florentissimam; revocabam in animum

animum egregiam collegarum de hoc Gymnasio literario optime meritorum fidem et concordiam, quibus me adiutoribus perfectoribusque consiliorum meorum usurum esse, tam certum mihi erat, quam quod certissimum.

Unum erat, auditores humanissimi, de quo diu ambigebam, nec satis in animo meo constituere posseram, utrum illud plus prodeisset, an obesset scho-  
lae, ad quam regendam arcessabar. Vix aliquot milliaribus ab hac urbe distat Iena, inclyta illa et totius Germaniae ore celebrata Academia, quae cum maxime Principis nostri, Curatoris Sere-  
nissimi, insigni favore et munificentia ita crevit et caput extulit inter reliquas Academias, ut quae do-  
centium fama, discentium frequentia illi praeccelle-  
ret, nulla, quae pari splendore effulgerent, vix pau-  
rae aliquot reperirentur. Huius vicinia an scho-  
lae Vimariensi plus emolumenti, quam detrimenti  
afferret, cum diu fluctuabundus haesitassem, tandem,  
ut sit, in eam deveni cogitationem, ut in univer-  
sum, quam vim habeat Academiarum vicinia in has  
elegantiorum literarum officinas, quas *scholas in-  
feriores* appellare vulgaris fert consuetudo, diligenter  
anquirerem, ratus, hac quaestione disceptata,  
controversiam etiam de commodis incommodisve Ie-  
nensis Academiae ad Gymnasium nostrum redundantibus  
facilius posse dirimi. Sed quo diligentius  
haec excussi, et quae in utramque partem disputa-

ri possunt, perpendi singula, eo liquidius mihi apparuit, quicquid de incommodis ex Academiarum vicinia emanantibus vulgo dictitari solet, vel a malevolis scholarum eiusmodi obtrectatoribus temere confictum, vel ab imperitis levium rumusculorum captatoribus nimis auctum esse et exaggeratum. Quam ob rem hanc mihi iam penitus indui persuasionem, ex Academiarum vicinia, quam quidam calamitatem esse clamitant fudi nostri scholastici, tot tantaque in scholas derivari posse commoda, ut si qua tenuis ex illa contagione scholis aspergatur labecula, hic quoque valeat illud Horatianum, *ubi plura nitent — non ego paucis offendar maculis.* Haud scio igitur, an operae pretium facturus sim, quod cum hodie muneric auspiciandi gratia in hoc illustrissimo Virorum omnis ordinis et loci confessu verba facienda essent, et argumentum ab hac persona ethoc loco haud alienum pertractandum, *commoda e vicinis Academias ad scholas redundantia ab adversariorum criminationibus vindicare* constituerim. Videatis, auditores humanissimi, materiam me summisse non gravem illam quidem, vel ex interioribus literis de promtam, sed ex communi rerum in medio positarum acervo ductam, eandem tamen haud parum controversam, et multorum adhuc litibus, multorum quotidianis sermonibus iactatam, ideoque expeditu aliquanto difficiliorem. Vos igitur, auditores quo me advenam iam antea et peregrinum hominem prolixe admodum exceperitis favore, eodem  
nunc

nunc quoque novum oratorem et inusitata rerum omnium specie perculsum ita sustinete, ut si minus iudiciis vestris, quae novi esse limatissima subtilissima maque, rem ipsam probavero, conatu tamen voluntatibus vestris eximiis satisfaciendi non plane displicuisse videar.

Principio, ne partium studio occoccati cupide indicare, et, dum causae nostrae patrocinemur, quid verum postulet, parum pensi habere videamur, audienda est illorum oratio, qui scholas Academiae vicinas graviter insimulant, seque de adolescentulis, qui in scholis istiusmodi ad literarum cultum et humanitatem informentur, male timere, peius auguri, aperte prae se ferunt. Quae quidem oratio ut eo explanatus et dilucidius appareat, age, fingamus patrem, cordatum hominem et de institutione filii, corroborata iam paululum aetate e nido paterno in scholam aliquam evolaturi, valde sollicitum, tales denique, qualem fibi contigisse unus quisque vestrum vel laetatur, vel exoptaverit saltem, fingamus, inquam, patrem constanter respuere condicionem filio in schola eiusmodi Academiae vicina benigne oblatam, nec ullis amicorum precibus, ut mutet sententiam, expugnari posse. Quam tandem illius hominis orationem futuram esse putatis, auditores? Aut egregie fallor, aut hunc fere in modum scholas istas infectabitur, suaequa velificabitur sententiae: „Plena sunt, fateor, omnes scholae vitiorum illecebris, colorem duxerunt omnes e

labe seculi; sed quae iuvenum imperitorum animos  
magis pellicant, et ad omnem lubidinem explen-  
dam vehementius instigent, quam eae, quibus cum  
vicina Academia perpetuum intercedit commer-  
cium, reperi nullas. Incautis et imprudentibus ad  
omnem nequitiam ibi fenestram apertam esse, vel  
Iusco apparat. Puer, qui ferulae manus nondum  
subdnxit, castigandus ille, si deliquerit, et seuera  
disciplina, ne luxuriet, compescendus, manum in-  
tra pallium scholasticum continere dictoque audiens  
esse iam serio gravatur. Saluberrima praceptorum  
monita indies fert impatientius, et seu poenarum  
minis ferocem animum coercere, seu precum blan-  
ditiis et lenitate emollire studeant, surdo ista con-  
tatur fabula. Ridet et recalcitrat. Causam quae-  
ris tantae contumaciae in tam tenera et sequaci aet-  
ate, qua tanquam molli et uida argilla quiduis imi-  
teris et effingas? Noli querere; in promptu est.  
Exemplum sibi sumit puer a vicina Academia, cu-  
ius cives, *llicantia academica*, quam falso libertatem  
venditant, elatos, frena, si qua iniiciantur illis,  
mordere ferocius, leges ad coercendam eorum au-  
daciā et temeritatē prudenter fancitas fusque  
deque habere, et nihil non facere, quo pudoris et  
verecundiae claustra labefactata et effracta esse,  
aperte ostendant, puer scholasticus vel hisce suis  
oculis videt, vel fando accipit quotidie. Vis ca-  
stitatem filii et pudorem illibatum intemeratumque  
servare; vis aures eius adversis impure dicta, oeu-  
los

Ios adversus foede facta, animum adversus turpiter cogitata praemunire; vis omnem impuritatem abesse penitus a mente tenera, haec omnia eo tenacius arripiente, quo magis omnes a natura ad haec proclives sumus? Obscurandus mihi es, o bone, et per salutem filii tui obtestandus, ne puerum tali scholae immittas, quae prope abest ab Academia. Illic iuvenum custode remoto lascivientium effrenata dominatur lubido: illic matronarum et puellarum pudicitiae non clandestinis machinationibus, sed aperte insidiatur adolescentum male feriotorum turba: perstrepunt illic canticis impudicis plateae, personant flagitiosis narrationibus domicilia. Molitiae, procacie, impudentiae plena sunt omnia. Horum male cautorum et ad corrumpendos teneros animos mire efficacium sermonum veneno cum pueri in vicina schola commorantes inficiantur; horum exemplorum pestifera labe cum passim contaminentur: quid mirum, si et ipsi a teneris iam perpruriscunt unguiculis, oculis, quos in libros unice defixos habere oportebat, ubique iam venantur virginis, pexo capillo nitidi et unguentati voltant, et eodem tramite incedere gestiunt, quo cives Academicos, strenuos, si diis placet, puellarum, non Mafarum cultores, summa alacritate praecurrere intelligunt. Adde aliud iis, quae iam dicta sunt, haud inferius detrimentum. Pueri, qui vix prima earum literarum, quibus illa actas impertiri solet, elementa bene didicerunt, iam cristas erigunt, su-

animos, et cum vix tria, quod aiunt, Stesichori percepint, e carceribus scholasticis se proripere et evolare gestiunt ad ampliora Academiae spatia. Miraris hunc festinatum et praeposterum puerorum in Academiam discessum, quippe quos tres quatuorve etiamnum annos haerere in subfelliis scholasticis et ignorantiae tenebras menti sua offusas solidioris doctrinae luce discutere par erat. Miraris parentum socordiam et prayam indulgentiam, quod perverso isti et perniciose filiorum studio discessum in Academiam non maturandi, sed anticipandi, velificandum sibi satisfaciendumque putent. Mirari noli. Causam tantae perversitatis non est, quod longe repetas. Vicina Academia hac quoque clade afflixit pessum deditque rem scholasticam. Nonne enim pueros et adolescentulos, paulum severiori lege in his scholarum umbraculis proficienes, quotiescumque adultiores iuvenes in propinquâ Academia liberrime evagantes, ludendo, equitanndo, vel comedendo, ne quid turpius dicam, genio suo obsequentes, et nullis, nisi quos ipsi fibimet circumdederint, limitibus circumscriptos conspiciant, ardentissima prodeambulandi in puluerem ac solem Academicum cupiditate inflammari oportet? Nonne, dum imperia, quibus parent, adstricta ex illorum licentia metiuntur, intolerabili servitute fese oppressos esse, et dum fructuosisima lenissimaque magistrorum disciplina continentur, onus Aetna gravias fustinere, cum gemitu et indignatione voca-

vociferabuntur? Atque in tanta quidem Academiae propinquitate fieri non potest, quin saepe illis blandi officii nomen praetexentes, obrepant novelli Academici, eiusdem paulo antea disciplinae alumni, qui scholastici gregis miseria multum deplorata, deorum vitam iam se fere adeptos esse gloriantur. Inhiat istis sermonibus, tanquam e tripode dictis, grex discipulorum. Piget pudetque, tam diu morosulis morem gessisse magistellis. Valeant igitur supercilia illorum et tristes cathedrae. Praefat adire doctores academicos, qui *dominorum* dulcissimo nomine aures molliculas permulceant, qui vultu hilari mellitisque verborum globulis illos allicit, nec quicquam praetermittendum sibi esse putent, quo gratiam illorum aucepentur. Sic imberbes iuvenes, qui ne pilum quidem habent bovi clavis Academicici, cruda et immatura studia in vicinam Academiam protrudunt, et illuc, tanquam ad beatorum insulas, gratulabundi exultabundique provolant, gravissimas olim tam stolidae festinationis poenás daturi. Quae cum ita sint, et viciñas Academias in adolescentiolorum animis *contumaciae, lasciviae et arrogantiae* semina spargere fœcundissima, fatis constet; nonne religio esse debet parenti, qui paternum animum non plane exuerit, tali scholae tot tantisque ob infestam vicinitatem malis obnoxiae, filium committere? Crates quidem ille Thebanus turrim sibi dari præcaltam exoptavit, unde concionaretur civibus suis, et socordiam

illis

illis in educandis liberis exprobraret turpissemam.  
Ego vero vel Stentoris illius Homerici vocem mihi  
inditam esse malim, ut longe lateque exaudiri  
queat adhortatio: cavete vobis, parentes, a scholis,  
quibus imminet Academia, unde, quae largissima  
ibi propullulat vitiorum propago, dispergitur in  
scholas illi conterminas. Cavete parentes! cavete  
adolescentuli! Latet anguis *hand* in herba, sed in  
academia!“

Audivisti, credo, auditores humanissimi, ora-  
tionem adversarii acerrimam. Nec hoc mihi vitio  
dare quisquam poterit, me vel omittendo ea, quae  
specie dicunt poterant, vel elevando extenuandoque,  
quibus acriter inhaerendum, causae adversae esse  
praevericatum. Sed nolite quæsto, criminacioni-  
bus istis ambitionis prolati fidem temere adhibe-  
re. Quas quidem si diligentius ad veritatis nor-  
mam exigamus, magis ad cavillationem compo-  
nitas, quam ad persuadendum idoneas esse facile pa-  
tebit. Non diu vos morabor, auditores. Sed re-  
fellenda tamen sunt singula. Vos facite, aequo ad-  
fatis animo, et causam scholarum in Academiae  
propinquitate sitarum, id est, Gymnasii nostri, per-  
oranti favete.

*Vicinitas Academiae*, inquis, *disciplinae impatiens*  
*reddit scholarum alumnos*. Audio, o bone, et  
posse interdum hanc vim habere vicinatem Aca-  
demiae, ut tirones in scholis, quantum sibi arro-  
gent

gent barbatuli vēterani in Academiis, quantum iacentit sese in irridendis eludendisque decretis Academicis, e propinquo animadverentes, idem sibi quoque licere putent, p̄aefracte negare non aūsum. Sed primo tu mihi valde iniurius esse videris in omnes Academias et quae patrum ac maiorum memoria in nonnullis Academias altas radices egisse penitusque inoleuisse putabatur effrenis morum licentia, legum adīpernatio, ac rudis barbaries, a mansuetudine et comitate seculi nostri dudum expulsa, cam nostra etiamnum aetate omnes omnino Academias peruersissime, falso arbitrare. Vide, quantum ērrēs in temporum calculo, quantum coecutias in moribus seculi, et, ne coniuratae in ultionem sui Academiae acerbissimas poenas a te repetant, vel, ut sunt ad iram fuscipendam paulo procliviores, aqua et igne tibi interdicant, cave! Deinde neminem, qui plurium scholarum indolem ac ingenium perspectum habet, fugit, iustum, sed communem hanc esse cantilenam magistris omnium scholarum: periisse frontem de rebus, effracta esse pudoris, obsequii, et verecundiae repagula. Aliunde haud dubie sparsa sunt semina istius morbi, quem seculi morbum dicas, utpote qui non tantum scholarum intimos recessus, sed regna etiam et civitates hodie peruersit. Et profecto sic se res habet, auditores. Fœcundissima vitiorum mater, effeminata mollitia et luxuries hanc quoque universis scholis nostris affricuit pestem et rubiginem, ut quo moliores

liores sint pueri et deliciis domesticis enervati, eo contumacius et impatientius detrectent iussa praceptorum, eo vehementius emancipari sese et exsolui cupiant legum vinculis. Divine enim, ut omnia, Plato in ea disputatione, quam de legibus instituit, *deliciae*, inquit, *puerorum animos reddunt difficiles, morosos, iracundos et qui levibus causis irritantur* \*).

*At pudori, aīs, et castitati adolescentiūrūm a propinqua Academia præsentes imminent insidiae.* Pessima, fateor, inconsultae libidinis et impotentium cupiditatum exempla hodieque passim reperias in Academiis, morbo feculi dicam, an quod plures ibi peccandi subnascantur illecebrae. At unde tibi constat, o bone, deterrimam istam luem vel corrupisse tantum Academias, vel ex Academias in scholas adeo serpere illis conterminas? Gliscit hoc malum et latissime dimanat in iis scholis, quas ab Academiārum contagione longissimum fecrexit intervalum. Atque utinam haec adventitia tantum, non domestica etiam exempla corrumperent teneros puerorum scholas frequentantium animos. *Utinam, ut cum Quintiliano loquar, non ipsi liberorum nostrorum mores perderemus!* Vicinae sint licet academias scholis nostris. Haud facile coalescent et conglutinantur animi eorum, qui in scholis et Academias operam

\* ) Plato VII. de Legg. p. 791 E. ι τευφή δύσκολα καὶ ἀκρόχολα καὶ εφοδεῖ ἀπὸ μικρῶν κινέσται τὰς τὸν νέον ἡρη ἀπεργυάζεται.

operam dant literarum studiis. Nota loquor. Alto supercilie plerumque despiciunt veterani isti tirunculos in arctiorem scholarum gyrum redactos, et raro, nisi lucelli spes affulgeat, familiaritatem cum illis contrahunt. Enimvero, quocunque vertas, ubique illaqueare student et inescare imperitos adolescentulos pessimorum exemplorum illecebros. Sic, ut hoc utar, scholae publicae haud raro reperiuntur in oppidis, in quibus stativa habent milites, qui quod coelibe vita nil disciplinae suae accommodatus esse putant, eo intemperantius obsecundare solent vagis libidinibus, pessimo haud dubie inventutis scholasticae ad haec minime coecutientis exemplo. Atqui nondum audivi parentibus, qui filios scholis eiusmodi concrederent, hac militum vicinitate ullum iniectum esse scrupulum. Sic ut aliud exemplum, quod ultro sese oggerit, non praetermittam, saepe in iisdem oppidis, in quibus patent bonarum artium officinae, histrioniam facere iubentur artifices scenici, eorumque maximo plausu, summa frequentia spectantur fabulae. Quod quidem spectaculum ad deliniendos, rerumque frivolarum gusto imbuendos adolescentulorum animos longo maiori vi pollere, quam exempla academica, vel quovis pignore contendere nullus dubito.

*At nulla re magis perversa cupiditas discedendi in Academiam incenditur, aliturgue in adolescentulorum animis, quam propiore libertatis, qua perfruuntur*

*Aca-*

*Academicci, conspectu.* Habent haec quidem speciem aliquam. Sed hic quoque frustra esse adversarium nostrum, vincam facile, auditores. Scilicet omnis controversia huc reddit, ut dispiciamus: num scholarum in vicinia Academiae constitutarum alumni, huius ipsius vicinitatis opportunitate commoti, ardenter illuc commigrandi flagrant cupiditate, quam ii, qui magno locorum intervallo disjuncti Academiam nuquam oculis usurpaverunt sibi? Credo, me parum verisimilia dicturum esse. Dicendum tamen id quod res est, et quod experientia edoctum saepe mirari subiit. Acerrimo plerumque studio ad dulcissimos illos Academicas libertatis fructus degustandos abripi et in transversum agi cognovimus adolescentes in iis scholis, qui longe distant ab Academia, fando tantum et amicorum narrationibus sibi cognita: contra autem, quibus ob propinquitatem quotiescumque allubuerit, visendi animique oblectandi causa illuc evolare integrum, longe minore illius teneri desiderio. Nimirum ita omnes a natura comparati sumus, ut transvolemus communia et in medio posita, captemus remota, abscondita, fugientia,

— Ieporem venator ut alta

In nive sectetur, positum sic tangere nolit \*).

Atque idem usu venire videmus adolescentulis in remota aliqua schola procul ab Academia commorantibus. Felicitatis Academicae, vanis rumoribus mirum

\* ) Horat. I Sat. II, 105.

mirum in modum auctae, hanc ipsam ob causam,  
 quod illam proprius inspiciendi explorandique nulla  
 adhuc copia facta est, longe sunt cupidissimi. Hu-  
 ius desiderio quotidie contabescunt, hanc votis ex-  
 petunt ardentissimis, quorum damnati digito se  
 coelum attingere arbitrantur, Thrasonum quorun-  
 dam Academicorum, multa de faustitate sua inter  
 ignotos esfutientium, ampullis et sesquipedalibus  
 verbis misere decepti. Colonos Europeorum,  
 qui spe divitiarum inescati in terras peregrinas  
 alioque Sole calentes sese abduci passi sunt, saepi-  
 sime iratum genium suum accusare accipimus, quod  
 vana opinione delusi non aureos illos, quos ani-  
 mo iam paeceperant, montes, sed sylvas horri-  
 das, paludes immensas et Scytharum, quod fertur  
 proverbio, deserta invenerint. Non dissimili for-  
 tuna uti videntur adolescentuli, qui, literarum ru-  
 dimentis in schola nondum rite iniciati, illotis ma-  
 nibus ad Academica sacra accedunt, omnia ibi pla-  
 na sibi et familia fore autumantes. Vix a risu tem-  
 perare tibi queas, si in miseros istos, iam vo-  
 ti sui compotes, iam in illum locum, quem diu ar-  
 dentissimis suspiriis exoptaverunt, in Academiam  
 delatos incideris. Coelo delapsi et in novum aliquem  
 orbem delati sibi videntur, stupent, aestuant, dis-  
 cursant, ubique impingunt et vix fero tandem,  
 cum nec doctorum Academicorum scholis cum fru-  
 etu sese interesse, nec felicitatibus istis, quarum  
 spe lactati advolaverant, persrui posse, intellexe-  
 runt, sinistro Apolline, iratis Musis se hoc consi-

ium maturandi abitum in Academiam cepisse, voce conqueruntur lamentabili. Quanto igitur melior est conditio eorum iuvenum, quos ab his fraudibus et opinionum erroribus tutos praefstat Academiae vicinitas. Hi ridiculis istis et ad ostentationem compositis nugamentis de mira Academiarum felicitate illud scari nequeunt. Ipsi omnia dispicere, et propria experientia hic quoque verum esse apprehendere possunt illud verbum: *Pluris esse oculatum testim unum, quam auritos decem.* Atque equidem haud scio, an inter praeincipia scholarum in vicinitate Academiae constitutarum commoda referam, quod illarum alumni mature penetralia, vel, si dicere fas est, postscenia vita Academiae introspiceret, iustumque illi pretium statuere dicant. Ad mercaturam bonarum artium proficiuntur, qui in Academias se conferunt. Atqui haud dubie in coemendis conquirendisque mercibus dexterius rem suam administrabunt ii, qui prope habitant, et assidue versantur in foro, quibus tabernas singulas perlustrandi, res promercales venum expositas iterum atque iterum inspiciendi et institutorum ingenia noscitandi crebra facultas data est. Profecto aut obtuso admodum et hebeti ingenio sint oportet, aut verba sibi dari a mercatoribus merces venales protrudere cupientibus, fumunque sibi vendi a praeстиgiatoribus, haudquam patientur. Didieerunt foro uti, et cavere sibi ab impostoribus, quorum in celeberrimis mercatibus

catibus semper uberrimus est proventus. At longe alia et multo deterior est conditio eorum, qui longinquis et regionibus advecti mercaturam faciunt in loco nunquam antea sibi cognito. Hi, dum mercimonia exquirunt, dum tabernas sciscitantur ab obviis, dum frivolis rebus inhiant, fucosas et fallaces merces sibi obtrudi, imo clitellas sibi imponi, parum intelligunt. Feruet mercatus, diripitur merx proba et sincera ab emtoribus, acta transacta omnia; at isti interea stupent in funambulo. Quid opus est, auditores, ea, quae diximus, de mercatura transferre ad sublimiorum disciplinarum studiosos in Academia? Facile ipsi haec coniectura assiquimini, et vel ex iis, quae hactenus ad diluendas criminationes adversariorum a me prolata sunt, intelligitis, incommoda scholarum, quibus perpetuum est cum Academia commercium, vel esse plane nulla, vel ea, quae in universum a scholis se jungi et segregari nequeunt. Enimvero multo maiora ex ista vicinitate ad scholas redundant commoda, dum praeceptratores et discipulos in usum illa suum convertere, et quae fraudi noxae que esse possint, avertere non pigeat. Nam quid ego memoriam paeclaras iuvenum exempla in stadio Academicoo strenue decurrentium, cuiusmodi plures in maiori numero Academicorum exsplendescere consentaneum est? Nonne erectionis indolis iuvenes in scholis propinquis hinc quoque exemplum sibi petent et fastum deponent, quo facile intumes-

ount, qui se primos in aliqua arte putant? Quid vero dicam de praemis et laudum paeconis, quae iuvenes isti confessi curriculo Academico consequi solent cum plauiu et gratulatione bonorum omnia? Nonne nostros quoque in scolais adolescentulos, quorum aures talibus vocibus undique circumsonant, honestissima laudis inflammabit cupiditas, ut excusso desidiae torpore, eiecta omni ex animo molititia, ipsi quoque mature emergere cupiant et voluntare per ora virum? Nam qui propinqua ex Academia virorum doctorum consortio, literariae suppellectilis commercio, varioque eruditionis apparatus non solum a magistris, sed etiam a discipulis, quibus haec curae cordique sunt, percipi potest fructus, multiplex ille et nequaquam contemnendus, illum tam manifestum esse arbitror, ut in illo explicando nolim intemperantius abuti patientia vestra. Ut in pauca me conferam, fortunata est schola, cui frui licet commodis e propinqua Academia copiose ad illam redundantibus; fortunati discipuli, quibus hunc ampliorem campum virtuti suae post emensum rite curriculum scholasticum patenter, quotidie contemplari, et alacritati suae nova incitamenta inde petere contigit\*).

Fortu-

\*.) Quando, ut Columella ait (de R. R. XI. 1.) *nil recte sine exemplis docetur*, invat hic duo subjexere fatis luculenta, quibus rem totam facile confici, existimem. In duobus primariis Saxoniae oppidis, Dresdae et Lipsiae patent ludi literarii, antiqua fa-

ma

Fortunatum etiam Gymnasium Vimariense, quod tantum absuit, ut detrimenti aliquid acciperet a ce-

B 3 leber-

ma et plns unius seculi Iandibus incliti. Nam quis ignorat, Dresdae florere scholam Crucianam, Lipsiae Thomanam, e quibus, tanquam armati e fatali illa machina Troiana, ingens virorum doctissimorum multitudo, per totam Germaniam sparsa et disseminata, prodierit? Utriusque scholae eadem fere est indeoles et disciplina, eadem habentur instituta. At dici non potest, quantum, si nunc spectentur, inter se differant. In schola Cruciana refixisse fertur praeclarum illud optimarum artium studium, quo incaluisse et inter omnes aequales enituisse constat alumnos illius scholae, rectore Schoettgenio, magno illo Saxoniae polyhistore. In illustri Thomana contra, in quam, hac cathedra Vimariensi relicta, commigravit olim Vir incomparabilis, Ioannes Matthias Gesnerus, calet officina, strenue urgetur opus, salubri et severa disciplina continentur alumni ita, ut qui scholam illam penitus cognorint, antiquam illic stare honorem literis, uno ore omnes confirmant. Atqui Cruciana pluribus milliaribus distat ab Academia; Thomana in ipso finu Lipsiensis academie suscepit et enutritam esse dicas. Sciscitatus sum nuper, cum Dresdae commorarer, e viro harum rerum apprime guaro, causas, qui factum sit, ut in tanta magistrorum eruditissimorum, quibus adhuc fruatur Cruciana, affluentia, tanto torpore elanguerint et a pristino splendore degenerayerint Cruciani? Causas commemoravit complures, incolarum luxuriem, parentum socordiam, magistellorum in latibulis

leberrimae Ienensis Academiae vicinitate, ut incrementa etiam inde caperet laetissima, variisque ornamenti, doctoribus etiam, in quibus Carpoium et Gesnerum nominasse sufficiat, inde ductis, exsplendesceret. Fuit haec magna et rara eius felicitas, ut nunquam non curatores haberet et nutritiores egregios, qui, quicquid ad augendum amplificandumque illud ficeret, semper in promtu ac numerato haberent, magistros vero, qui curis indefessis et vigiliis omnem noxam ab illo propulsarent, et quicquid e re illius esset, in commune consulerent. Quorsum pertinet in primis illud institutum, ad imbecillam aetatem adversus illecebras vicinae Academiae praemunierendam valde accommodatum, quo cavetur, ne quis antea facultatem impetrat

schola-

latibilis iudos aperientium frequentiam, „sed una est, inquit, qua in primis laboramus. Fastu ridiculo inflati detectant obsequia, et vix nucibus relictis, cum peniae nondum succreverint, evolare gestunt in Academias alumni nostri.“ En vobis scholam, ab Academia longiuscule remotam, sed cum maxime illa contagione, quam affricare dicitur vicinitas Academiae, infectam; en aliam, quam cingit et circumvallat quasi Academia, auctoritate docentium, diligenter moribus et profectibus florentissimam. Ceterum universam hanc quaestione sepe et populariter pertractavit, V. III. Nienmeierus in libello theodisce scripto: *Welchen Einfluss hat die Nähe der Akademie auf öffentliche Schulen? ein pädagogisches Gespräch.* Halle 1790.

scholaſticeae vitæ cum academica commutandæ,  
quam certissima virium suarum institutione ſcholaſ-  
tice iam corroboratarum ediderit ſpecimina.

In hac igitur ſchola prudentiſſimis curatoſum  
et praefidum conſiliis, docentium auctoritate et fi-  
de, diſcentium pietate et affiſuitate florentiſſima  
PRINCIPIS SERENIſſIMI, CAROLI AVGVSTI  
auſpiciis rectoris provinciam mihi obveniſſe, am-  
penſe laetor, deumq[ue] hac ipſa hora et muneriſ  
capeſſendi ſolemnitate gratulabundus veneror, nu-  
tu eius et benignitate haec omnia e ſententia et  
voto mihi ſucceſſiſſe, certiſſime perſuafus. Idem  
annuet votis cum maxime fuſcipiendis, teſtis aderit  
promiſſis, quibus in hoc illuſtri auditorum confeſſu  
fidem meam publice obſtricturus, ſinē imponam  
huic orationi.

Atque hic ſubito ſeſe mihi offert, vultuque  
placido et sereno, qualis eorum eſſe debet, qui  
beatorum in ſedibus ſempiterna iam perfruuntur  
felicitate, me ſalutat imago ſenis longa ferie anno-  
rum et meritorum ſplendore venerabilis. Ag-  
nosco vultum tuum, ab eo tempore, quo primum  
illum conſpexi, animo meo penitus inſculptum, ag-  
nosco te, IOANNES MICHAEL HEINSI? Tu mihi  
post decurſum feliciter ſtadium, quod ego iam in-  
gredior, lampada tradere, meque in illam ſcholam,  
quam accurate et fideliter docendo, et graviter  
prudenterque regendo viginti, et quod excurrit, annos

pulcherrime ornasti, vis deducere. Accipio omen;  
sequar te, beatissima anima, tuisque, quae hic ubi-  
que non adumbrata, sed expressa video, vestigiis,  
dum potero, insistam!

Nolite existimare, auditores, me nefcio qui-  
bus intemperiis agitatum spectra videre, vel dicis  
tantummodo causa haec pronuntiare. Re vera ob-  
versabatur animo viri clarissimi, cuius partes mihi im-  
positas esse cernitis, imago. Novistis Heinseum,  
magni Gesneri praeclarum discipulum, virum de  
re literaria cum universa tum Vimariensi egregie  
meritum, cuius manibus ita in posterum parentare  
constitui, ut exemplum eius mihi semper proponam  
et virtutum, quibus eminuit, contemplatione, tan-  
quam calcari quodam ad idem honestissimarum lau-  
dum studium inciter. Multis ille bonis flebilis oc-  
cidit, nulli flebilius, quam vobis, Heinsianae disci-  
plinae alumni carissimi. Vos ille, dum in vivis  
fuit, animo vere paterno semper in sanguine tulit et in  
oculis; vobis intima Latii Graeciaeque penetralia,  
quae quidem ipse penitus pervestigaverat, mira  
docendi voluptate, comitate singulari patefecit;  
vobis viam ad virtutem, probitatem, pietatemque  
non formulariam illam et ieunam, sed genuinam  
et ex ipsis fontibus haustam, doctrina, auctoritate,  
exemplo commonstravit; Vobis vestrisque commo-  
dis curas, vigilias, lucubrationes, omnesque om-  
pino vitae rationes dicatas consecratasque esse vo-  
luit.

luit. Dignus profecto est Heinlius, cuius memoria nunquam in animis vestris oblitteretur, de cuius gloria detractum ire et delibatum, nefas putemus et grande piaculum. Heinli, tu nobis semper in ore eris, et in pectore. Have, candida anima, et solida illa nullumque unquam finem habitura felicitatis fruere!

Te, HERDERE, Vir Magnifice, Tuamque erga se benevolentiam lubenter praedicare, monumentis etiam publicè tibi inscriptis \*) palam testificari solebat Heinlius noster. Te spectatore et applausore fabulam in hoc theatro usque ad extremum illud: plaudite, peregit, et ingravescente iam aetate favoris Tui significationibus subinde recreatus, numquam titubavit in officio senex venerabilis; Te laudatore et praecone honestissimo, qualem profecto quilibetsibi exoptabit, obtinebunt pauci, ex hoc ipso loco elatus est mortuus. Frustra mihi personam eius in munere rectoris  
obeun-

\*) Inscriptit Herdero Heinlius *Syntagma opusculorum scholasticorum*, quod gener Heinli, Ruprechtus, librarius Gottingensis, vir honestissimus, prelo subiecit Gotting. 1783. Ceterum vitam b. Heinlii, dignam fane, quae cognoscatur ab omnibus, qui quidem his elegantiorum literarum sacris iniciari cupiunt, expectamus a praeclaro viri beati filio, Valentino Augusto Heinlio, Professori Kiloniensti Celeberrimmo, Viro, quo candidiorem terra non tulit, et cui me pluribus nominibus tam obstrictum esse, quam qui maxime, gratus ac libenter prositeor.

obeundo impositam pütēm, nīsi in illum quoque locum,  
quo apud Te fuit, succedēdi mihi sīat copia. Hanc  
veram, hanc amplissimam Heinsiani nominis puta-  
verim hereditatem, quam sāne cernere malim,  
quam si me heredem scribant, quicquid ubique est  
beatiorum hominum. Cum quinque ab hinc annis  
peregrinatione aliqua per has terras suscepta, Te quo-  
que, Vir Magnifice, ut mos est peregrinatorum, sa-  
lutarem, et suavitate sermonum Tuorum, quibus  
omnes delinire soles, captus, mirabundusque a Te  
discederem, statim pupugit animum haec cogitatio:  
Felix, cui tanti viri censuetudine perfrui, cui vitam  
suam ad eius confilia, munericū rationis ad au-  
ctoritatē illius componere liceat! O me fortu-  
natum! quam vix animo concipere, nedum votis  
expetere tunc ausus fueram, ea nunc sponte sua  
mihi oblata est felicitas. Praeles et Ephorus a  
Principe Serenissimo datus es huic Gymnasio liter-  
ario, qualiſ necſio an ulli, certe paucissimis con-  
tigit in universa Germania. Postulat ipsa munericū  
mihi demandati ratio et perhonorifica, quae mihi  
Tecum intercedit, necessitudo, ut quicquid in mu-  
nere meo agam, semper tibi sit cognitum, quicquid  
ad amplificandum, exornandumque Gymnasium ex-  
cogitaverim, ad iudicii Tui subtilitatem, tanquam  
ad amussum, sit exactum. Tu mirus ingeniorum  
et voce et scriptis singendorum artifex lubenter me-  
cum communicabis, quibus operam meam unice  
huic rei impendendam adiuvari posse senties: Tu  
veterum

veterum recentiorumque linguarum indagator sagacissimus, fontes earum libenter indicabis, et popula, quae non primoribus labris degostavisti, sed perbibisti, benigne propinabis, Tu — sed nolo singula percensendo vim afferre pudori Tuo, Teque obtundere. Quid multa? Tu praecepue desiderio tactus hoc accessi. Tu, quem totum muneris Tui esse, omnemque spem a Te quasi suspensam habere nosti, nunquam desines et consilio et auctoritate et re sustentare.

Vos vero, Viri spectatissimi, Praeceptores huius Gymnasiæ aestimatissimi, quem hodie in consortium et contubernium vestrum deduci videtis collegam, eum se totum fidei et amicitiae vestrae commendantem pro ea, qua polletis, humanitate, benevolè excipere haud gravemini. Contigit mihi id, quod in prima felicitatis meae parte semper ponendum esse iudicavi, ut, cum apud Lusatios Gubenerae primum, dein Budissæ scholis, quibus Deus faveat, regundis admotus essem, utrobique collegis interer mei amantissimis, mihi que non necessitudinis tantum, quae faepè discord s etiam et reluctantibus copulat, sed verae ac non fucatae amicitiae vinculo coniunctis \*). Nec dubitandum est, quin si quid

\*) *Schaarschmidium*, de schola Gubeneri, *Demuthium* de schola Budissinensi optime meritum, facere non possum, quin hac quoque occasione oblata honoris causa nominem. Nunquam mihi excidet illorum  
memor

in illis scholis in iuventute rite instituenda et ad humanitatem singenda promoverim, id omne concentui illi et amicae collegarum conspirationi acceptum referendum sit. Non vana harior. Persuassimum est, vos quoque, Collegae summa ope mihi colendi, si me talem reperiatis, qualem expectatis, praesidio, fide, amicitia vestra me non indignum esse iudicaturos. In eodem omnes veniamur navigio. Nostrum est, confociatissima voluntate cavere sedulo, ne fluctibus abrepta ventis debeat ludibrium, vel scopulis illis penitus submergatur navis nostra. Evidem omnes animi ingenique nervos intendam in eo, ut quantum in me est, ad hunc omnium nostrum consensum firmandum conglutinandumque quam plurimum conferram. Quod igitur Deus faustum esse iubeat, confunctis studiis, communicatis consiliis, confociatis vitae rationibus in eo elaborabimus, ut nunquam nobis in gratiam redeundum sit, et universi in unum quasi corpus coalescamus, quod eadem mente animatum, firmissima membrorum compage corroboretur augeaturque in perpetuum.

Vestra quoque ora, Iuvenes lectissimi, quotquot in hoc Gymnasio humaniorum literarum studiis operam navatis assidue, vestros animos expectatione suspen-

memoria, in qua recolenda dulce animo meo patratum esse intelligo oblectamentum, dulce desiderii, quo in illos feror, solatium.

suspensos et in me conversos esse video. Exspec-  
tissimum suavissimumque vobis fuisse adventum  
meum, documento fuerunt multiplices laetitiae sig-  
nificationes, quibus et universi et singuli me hoc  
accidentem excipere et exhilarare studiis. Nec  
refrigeratum esse postea illud studium, aperte decla-  
rasti publico hoc amoris vestri documentō, quod  
cum maxime per interpretem vestrum, data accepta-  
que dextra, in splendidissima hacte auditorum co-  
rona edidisti. Etiamsi vero quam fidem, quam  
benevolentiam a me vobis exhiberi velitis, nondum  
satis intelligo, cum nupera admodum haec sit inter  
nos notitia: hoc tamen vobis praestare ausim, si  
rectorem exspectavistis, qui amore studioque ve-  
stro incensus, ardentissimo de vobis bene merendi  
flagret desiderio, qui, quicquid uspiam vel guttam  
collegerit labore multo ad honestissimam bonarum  
artium sitim restinguendam, id totum quasi in vos  
transfondere gestiat, rectorem denique, qui to-  
tum se vobis consecrandum et vestris commodis  
omnes utilitates suas postponendas esse censeat:  
me non frustraturum esse vestram exspectationem,  
sed quo magis haec vestris voluntatibus apta et at-  
temperata esse intellexerim, eo maiore vestris desi-  
deriis satisfaciendi inflammatum iri cupiditate  
Agite, iuvenes carissimi, pulcherrima praeclari  
certaminis se nobis offert occasio, in quo viribus  
nil pepercisse, nulla unquam nos subire poterit  
poenitentia. Vos indefessum literarum studium et

infatibillem cuncta perscrutandi, cuncta addiscendi cupiditatem, vos verae pietatis et virtutis amplectendae ferorem, vos modestiam, vos paratissimum ad obsequia praestanda semper in medium afferte animum: ego ut docilitati, pudori, pietati vestrae nullum apud me commodum praeclusum sit, quantum viribus conniti potero, contendam sedulo. Agite, iuvenes iam meis oculis mihi cariores, facite periculum, qui vir siem, et ad honestissimum certamen provocati, mecum in arenam non turpem illam et gladiatoriam, sed literariam et decoram descendite, fine tergiversatione ac missione pugnaturi accerrime,

Vobis autem, Viri Perillustres, Excellentissimi, Illustres, natalium splendore, virtutum laudibus praecellentissimi, quorum curae atque tutelae universa respublica tum sacra, tum civilis commissa est; Vobis, Viri Summe Reverendi, sacri Senatus Ecclesiastici Praefes, et Consiliarii, omnesque omnino facrorum in hac urbe faciendorum Antistites amplissimi; Vobis, Consules et Senatores civitatis Vimariensis prudentissimi, consultissimique, Patroni scholae, quae se hodie Vobis plurimum debere fatetur, summa pietate prosequendi, Vobis, sautores omnis ordinis et loci summopere collendi, auditores, quotquot haec solemnia praefentia vestra cohonestare statuistis, aestimatissimi, maximas ex animo gratias ago, quod tam praeclarum  
indicii

īudicij vestri de me et schola nostra monumentum  
hodierno die extare voluistis. Favete Gymnasio,  
favete praeceptoribus, favete mihi, meisque de hoc  
Gymnasio vestrisque liberis bene merendi conati-  
bus prolixæ voluntatis aura leniter adspirate.

Quod reliquum est, Deum Optimum Maximum supplex vencor, omnigena felicitate cumulet,  
fospitet, beat Serenissimum Principem, patrem pa-  
triae, CAROLVM AVGVSTVM, quo tanquam  
genio aliquo tutelari florent ubique in his terris  
literarum studia, florent earum officinae et domi-  
cilia, florent artes,

vernat ager, flores submittit daedala tellus;

fartam tectam conservet augustam principis nostri  
domum, MATREM CONIVGE Mque celsissimam,  
et, cuius salute omnes nos salvos esse merito lae-  
tamur, PRINCIPEM IVVENTVTIS, spem pa-  
triae succrescentem, magni Parentis subolem gene-  
rosissimam; tutos incolumesque praestet una cum  
splendidissimis familiis aulae Proceres et rerum in  
hac civitate gerendarum Administros, quorum la-  
boribus otium, quorum vigiliis tranquillitas nobis  
paratur; prosperitatem, copiam, securitatem be-  
nigne suppeditet amplissimo Senatui et universae  
huic civitati; Bonam Mentem, Bonum Eventum  
adesse iubeat scholas nostræ: labores nostros et

consilia fortunet omnia, conatibusque nostris ad-  
spiret propitius.

Annue votis nostris, Deus immortalis, fons fa-  
cientiae, auctor spirituum! A te principium, in  
te finis esto!

---

Ienae,

Typis Stranckmanni.

Mb. 538. 8

ULB Halle  
006 697 011

3



TA → OL

W 18

W.C.



